



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 12. De infinita Dei misericordia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

mium, & poena, & emolumentum tuum, & vola velociter ad intimum & supremum, quod est in tuo Creatore, dilige illum propter seipsum & infinitam eius bonitatem & charitatem; dilige illum, quia te ipse diligit, & quia cupit à te amari; gratificare illi in eo, quod à te petit, siquidem illud petit comodi tui causa: lauda & glorifica illum, quia iubet vt illum ames, viresque concedit ad implendum, quod est dignatus mandare. O Dilecte mi, quid ad te, quod ego te diligam? aut quid tua refert, vt ego tecum amicitia coniungar? mea certè refert Domine, & non tua; sed infinita tua charitas ita id vrget, atque si ita tua interesset, atque mea. O si in hoc possem tuum amorem imitari, mei omnino oblitus, vt te solùm, vnicum, & summum bonum meum diligerem! cui fit honor; & gloria, & laus continua in secula. Amen.

MEDITATIO XII.
DE INFINITA DEI MISERICORDIA.

PUNCTVM I.



CONSIDERANDA primùm est *S. Thom. 1. p. 2. q. 21. a. 3.*
excellencia misericordiae diuinæ, cum eius iustitia comparata, præmittendo quod hæc duo attributa appareant in omnibus donis, quæ à

Deo accipimus ; iustitia in eo quod illa distribuatur iuxta ordinem infinitæ suæ sapientia, & iuxta id quod cuiusque rei natura , & cuiusque personæ merita exigunt; Misericordia, in eo quod per ea nos liberet à defectibus & miserijs, quas patimur, siue ob naturæ nostræ imperfectionem, siue ob liberæ voluntatis culpam; id quod facit duplici ratione; vel præueniendo ipsam miseriam, vel ab ea, postquam in eam incidimus, liberandos; & iustitiæ Dei proprium opus est, castigare eos, qui misericordiæ fructus reiiciunt.

His præmissis, considerandum est, quod quamuis diuinæ perfectiones, quæ in Deo sunt, omnes sint æquales; in ordine tamen effectus, qui in eis resplendent, altera alteri præeminet. Et in hoc eminet maximè misericordia, de cuius operibus magis gloriatur Deus, quam de operibus iustitiæ; & dixit S. Iacobus: *a misericordia superexaltat iudicium, & supereminet iustitiæ.* Quod expendi potest, vt dicamus, misericordiam præcedere, comitari, & sequi iustitiam in omnibus suis operibus.

a Iac. 2. 13.

L
S. Thom. 2.
p. 2. q. 21. a. 4.

PRIMUM semper misericordia præcedit nam omnia opera iustitiæ præsupponunt quod opus misericordiæ, in quo fundantur & priusquam Deus per iustitiam castiget peccatores, exhibet illis infinitas misericordias, nam remisit sæpissimè lapsis, monet, vt se emendent, & eius iustitiam timeant. Hinc est quod misericordia & venia oriuntur à misericordia

Deo, qui sola sua infinita bonitate, vult nos à nostris miseriis liberare; at iustitia in pœna inferenda, non à solo Deo procedit, sed etiam à nostris peccatis, quæ illum ad id prouocant. Nam eius propensio fuisset potius non habere occasionem exercendi suam iustitiam punientem: ideoque per suum Prophetam Ezechielem dixit: *nunquid voluntatis meæ est mors impij? & nõ vt conuertatur à vjs suis, & viuat?* & Sapiens: *c quam Deus mortem non fecit, impij autem manibus & verbis acerserunt illam.* O Deus misericordissime, siquidem nõ *lataris in perditione viuorum*, sed gemis potius cum castigas; *lataris autem, cum reddis præmium: præueni tuam misericordia culpas nostras, ne illæ tuam iustitiam cogant, inferre supplicia.*

DEINDE misericordia etiam comitatur opera iustitiæ, quæ nunquam ab ea nuda sunt: nam in medijs supplicijs, quæ infert, multas inserit misericordias, iuxta illud Davidis: *num obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* quasi diceret: etiãsi valdè irascatur, non obliuiscetur misericordiam suam; sed hanc cū ira miscebit. Et simile quid dixit Habac. Prophetæ *cū iratus fueris, misericordia recordaberis;* id quod facit monendo suos inimicos, vt eius caueat penam, & offerendo illis veniam; temperando etiam plurimum pœnam, quam eorum culpa exigebat. In ipso etiam inferno diuina se ostendit misericordia. Nam (teste S. Thoma) dānatos castigat

b Ezech. 18.
23. & 33. 11.
c Sap. 1. 13.

II.

d Psal. 76.
10.

c Hab. 3. 2.

i. p. q. 72. a.
4. ad. 1.

k 2

citra

contra condignum, minus scilicet quam potuisset castigare, iuxta grauitatem peccatorum eorum.

III.

Ex quo fit, vt misericordiã sit tanquam finis iustitiã: cuius pœnã eo diriguntur, vt castigatus emendetur, & capax fiat misericordiã DEI: quod si is noluerit, se emendare; alij saltem, occasione sumpta ex pœna illi illata, recurrant ad diuinam misericordiã; quã emineat magis ac resplendet in bonis, cum ponitur è regione iustitiã, quã exercetur in malos. Et hanc ob cau-

f Rom. 9. 22 sam dixit Apostolus, f *Deum in multa patientia sustinuisse vasa ira*, reprobos scilicet, vt ostenderet diuitias gloriae suae, in vasa misericordiã, hoc est in electos, in quibus manifestatur magnitudo misericordiã Dei, qui eos liberauit ab ea miseria, in qua sunt reprobi.

IV.

DENIQUE multò excellentiora opera Deus fecit, vt veniam per misericordiã daret, quã vt castigaret per iustitiã, vt mox videbimus. Et ideo dixit Dauid: g *miserationes eius super omnia opera eius.*

g Psal. 144.
9.

Ex omnibus his considerationibus magis deducam affectus gaudii, fiduciã, & amoris: siquidem ex dictis constat, quam magna habeamus motiua timendi iustitiã Dei; maiora tamen esse, quã habemus, sperandi eius misericordiã. Et quamuis vtraque oporteat amplecti, ne vel sola iustitiã tantum mihi metus incutiat, vt deficiam; vel sola misericordiã tantam adferat fiduciã,

vt pra-

ut presumam: semper tamen adhærebo ma-
 gis misericordiæ. Et in omnibus meis miseriis
 & lapsibus, licebit (teste Sancto Thoma) à tri- *in cap. 2. E-*
 bunal iustitiæ, ad misericordiæ tribunal pro- *pist. S. loco.*
 uocare, tanquam ab inferiori, ad aliquo mo-
 do superius, sicut est dictum: & h adire (ut *h Heb. 4. 16*
 ait Apostolus) cum fiducia ad thronum gratiæ
 eius: ut misericordiam consequamur, & gratiã
 inueniamus, in auxilio opportuno, quò scili-
 cet in tempore, ad id constituto, liceat ope-
 rari. O Deus æterne, gaudeo quod simul sis i- *i Psal. 114. 5.*
 ustus & misericors; iustus, quia iustitiam *k Psal. 10. 8.*
 diligis, & æquitatem semper videt vultus tuus;
 misericors, quia etiã iniustorum misereris,
 condonans illis iniustitias, ut bonitatem am-
 plectantur: sed profusior tamen es in mise-
 ricordia quàm in iustitia. nam, etsi *Exod. 20. 5*
 visitas iniquitatem Patrum in filios qui eos scilicet i-
 mitantur, in tertiam & quartam generationem
 eorum, qui te oderunt; misericordiam tamen fa-
 cis, non in quartam, sed in mille etiam genera-
 tiones ijs, qui diligunt te. Venerer ego Domine
 tuam iustitiam, eiusq; iustissimæ correctioni
 me subijcio; cupio tamen præualere in me tuã
 misericordiam, quæ me suum vas & instru-
 mentum efficiat, ut tu in me glorificeris, & e-
 go cærem misericordias tuas in societate tuo-
 rum electorum, in æternum. Amen.

PUNCTVM III.

DEINDE consideranda est magnitudo & la-
 titudo misericordiæ Dei, erga omnes

k 3

creatu-

creaturas, & omnes earum miseras, quæ est infinita: quia fundatur in eius omnipotentia, iuxta illud Sap. *a miserere omnium, quia omnia potes.* Gaude, anima mea, quod Deus tuus quæ sit potens, atque est misericors; & quod possit eius omnipotentia certum remedium adferre cuius miseriæ, cuius misericordia eius, compassione mouebitur. O Misericordia, omnipotens, & omnipotentia infinitè misericors; quã comodè conuenitis in nostrum remediũ; altera voluntatẽ, altera potestatem conferetes, & vtraq; nostram perfectionem efficiente. Si misericordia esset absque omnipotentia; quomodo posset mihi remediũ adferre? & si omnipotentia esset absq; misericordia, quomodo inclinaret ad subueniendũ? Attende proprie-
 a Sap. 11. 24
 b Psal. 61. 12
 ea, anima mea, quod dixit Dauid: *b semel locutus est Deus, & rãmen dua hac audiui, quæ dixi: quia potestas Dei est, & ei cõpetit misericordia.* O Deus animæ meæ, hæc dua, quæ lo- intra cor meum firmiter, valdè, efficaciter quæ loquere: & hanc tuæ misericordiæ cum Omnipotentia coniunctionem superna tua luce mihi reuela; vt omnipotenti tuæ misericordiæ confidens tibi seruiam cum lætitia.

I.

HINC possũ ratiocinari de magnitudine & multitudine misericordiarũ Dei, capita quædam perpendendo. *Primum*, quod, vt ait Dauid: *c misericordia Dei plena sit terra*, quia omnes creaturæ, quæ in ea sunt, alicui miseri sunt subiectæ, aut ob naturæ defectum, aut ob voluntatis propriæ malitiã: & solus Deus

c Psal. 32. 5.
 & 118. 64.

est, qui & subuenire potest, & re ipsa subuenit: ideoque licet totum terræ orbem aspicere, tanquam vas quoddam capacissimum, misericordijs Dei repletum: & quidquid in ea videro, incitamentum mihi esse poterit ad laudandam eius misericordiam.

II.

Ex quo fit, vt misericordia eius tanta sit, quæ etiam ad bestias & brutas animantes se extendat; iuxta illud Dauidis: *d homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus: quasi diceret, o quantum Domine multiplicasti misericordiam tuam: siquidem non solum vitam & salutem hominibus, & remedium eorum necessitatibus adfers, sed ipsis etiã iumentis! Gratias tibi pro misericordia, quam illis exhibes, eam nõ cognoscentibus: & qui e pullis coruorum te inuocantibus das escam, quando eorum necessitates clamans, illam petit: multò magis compatiaris filijs hominum, quorũ gratia bestias cõdidisti! Vbi licet perpendere, quod ipse Dñs dixit Ionæ: *f tu doles super hederam, quæ perijt; & ego non parcã Ninive ciuitati magna, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominũ, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistrã suam, & iumenta multa.* Quasi diceret: graue tibi est, si creatura illa destruat, quam tu nõ fecisti; & vis interim, vt ego destruam, quas feci? tu doles ob iacturam vnus hederæ, quæ vnus noctis spatio nata est, ac perijt; & non dolebo ego, quod pereant tot vitæ, quæ ex misericordia mea tot annis perdurarunt?*

d Psal. 35. 7

cPsal. 146. 9

f Ionæ. 4. 10.

g Psal. 62. 4

h Ps. 118. 77

LAYDET te, Deus meus, in finita tua misericordia, quæ incomparabiliter maior est omnibus rerum vitis, *g melior enim est misericordia tua super vitas.* siquidem illa est, quæ viventibus omnibus vitam largitur; & sine ea, nec vlla vita est, nec vllum medium eam conferuandi: *h veniant mihi miserationes tua Domine, & vitam:* vt propter eas glorificem nomen tuum in æternum. Amen.

III.

Ex his concipiam fiduciam magnam de misericordia Dei, quod miserebitur mearum miseriarum: & perpendam, eas non posse esse aut numero tot, aut tam graues, siue sint corporis incommoda, siue animi afflictiones, siue poenæ & aduersitates quæcunque, à quibus Dei misericordia non possit & velit, quantum in se est, liberare, quando mihi expediet. nam miseriarum mearum non est numerus, multo minus erit misericordiarum eius.

PUNCTVM III.

Misericordia Dei erga peccatores.

a Sap. 11. 24

TERTIO perpendenda est in particulari infinita Dei misericordia erga peccatores; de qua dixit Sap. *a misereris Domine omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter poenitentiam.* Diligis enim omnia quæ sunt, parcis aut omnibus: Quoniam tu sunt Domine, qui amas animas. Hinc deducimus proprietates infinitæ misericordiæ Dei.

I.

PRIMA proprietates est, quod se extendat ad vniuersos homines cuiuscumque sint status & conditionis.

ditionis, nullo prorsus excluso: ideo enim dicitur: *misereris omnium*, siue magni sint, siue parui; nobiles, siue ignobiles; liberi, siue mancipia: quia vniuersalis huius regulæ nulla est exceptio, cuius duas adfert sapiens rationes. *Prima* est, quoniam omnes peccatores, Dei opus & factura eius omnipotentis sunt; cui omnipotentis, misericordiam coniunctam esse diximus. *Secunda* ratio est, quia Deus animas amat: ex amore autem oritur commiseratio miseriarum, quibus res amata premitur. His quibus rationibus siue titulis frequenter mihi vtendum est, tam ad fiduciam diuinæ misericordis in me excitandam; quam ad petendum à Deo, vt eandem erga me exercent. O anima mea, si culpa, quam sponte admisisti, te derijcit; animet ad confidentiam id quod fecit Deus suam omnipotentiam. Si tu vis, pœnitentiã delere malum, quod fecisti; certissimum est, Deum suam misericordiam reparaturum bonum, quod ipse fecerat; nec misericordiam eius futuram operi, quod ex eius prodijt omnipotentia. O animarum amator, qui & me amas, quia eam fecisti, (*neque enim odians aliquid fecisti*) si enim illam odisses, nunquam fecisses; remitte mihi culpam, quam ego feci: ne quid in me sit, quod tu oderis. Aspice, quod, quam amas, sic plena misericordis; ostende erga eam tuam copiosam misericordiam.

SECUNDA proprietates infinitæ Dei misericordis est, quod se extendat ad omnia peccata, quamuis plurima illa & grauissima sint;

II.

k s nullum

nullum enim peccatū adeò graue esse potest, quo Dei misericordia non sit infinite maior, ad illud remittendum; nec esse possunt peccata adeò innumera, quibus Dei misericordia non sint incomparabiliter magis innumera. Quæ duo tanquã titulum & causam adhibere

b Psal. 50. 3.

possum, ad impetrandam meorū peccatorum veniam; dicens cum Dauide: *b Misere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele statim iniquitates meas.* O Deus mi-

c Psal. 78. 8.

sericordissime, cito anticipent nos misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis, & multæ magnæque sunt nostræ miseriæ.

III.

Ex his oritur tertia proprietas misericordiae Dei, quæ est, expectare peccatores, ut poenitentiam agant; quibus & veniam offert, & re ipsa dat facilius, cum eam petunt; nec amplius peccatorum recordatur, quam si illa non admisissent. Hoc est enim quod Sapiens dixit, *dissimulare Deum peccata hominum propter poenitentiam*; quasi fingentem, se illa non nosse, quoad poenam inferendam, sed expectare illorum poenitentiam: quamprimum autem poenituerit illos, ita peccata dissimulare, atque si non sciret, illa fuisse admissa, & e-

d Mich. 7. 19

e Psal. 102.

12.

proicere, ut ait quidã Propheta, *in profundum maris omnia peccata nostra: & e quantum distans ortus ab occidẽte* (ait Dauid) *longè facere a nobis iniquitates nostras.* Nam, ut est impossibile, hæc extrema coniungi: ita fieri non potest, ut culpa, quam suã misericordiã Deus semel re-

misit, iterum ei coniungatur qui eius veniam
 obtinuit. Et quod maximè hanc proprietatem
 extollit, illud est: quod non posuerit termi-
 num, aut numerum, quoties condonare velit
 peccata; sed, postquam semel multa & graua
 condonauerit, remittit secundò totidem &
 multo plura, idemque facit tertio, nec solùm
vsque septuagies sed etiam *vsq; septuagies se-*
pties, hoc est sine numero. Quod totum præstat
 misericordia Dei, nõ vt ex eo, liberiùs eum of-
 fendendi, occasione sumamus; sed *g vt nos ad*
penitentiam adducat, (vt dixit Apost.) culpæ,
 si in eam inciderimus, ne de obtinenda venia
 desperemus, quotiescunque eam petiuerimus
 ex corde. O misericordissime Deus, quas gra-
 tias & laudes p infinita tua misericordia tibi
 reddemus! *h minor sum cunctis miserat[i]onibus*
tuis. Quomodo ergo debitas pro illis gratias
 reddam! illæ ipse te laudent & benedicant in
 æternum. Confugiam ergo ad canticum illud
 dulcissimum Davidis, quod reperam frequen-
 tissime, *i Confiteatur Domino misericord[i]a eius,*
& mirabilia eius, quæ facit filijs hominum.
 AD magnificandam Diuinam misericordiã,
 cõferet multum Parabola filij prodigi, & alia
 plures, quarum Meditat. positæ sunt in 3. parte:
 Ex quibus omnibus cõsiderationibus, firmum
 animi decretũ est concipiendũ, imitandi mi-
 sericordiã Dei; vt sicut ipse erga me est miseri-
 cors, ita ego sim misericors erga proximos: nã
 & hæc est alia Diuinæ misericordiæ proprie-
 tas, vt maximè cõpatiatur ei, q ipsã æmulatur.
 nam

f Matt. 18.
22.

g Rom. 2. 4.

h Gen. 32. 10.

i Psal. 106. 15

IV.

nam propterea Christus Dominus noster dixit: *k Beatos esse misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

PUNCTUM IV.

Dei misericordia erga iustos.

a Rom. 9. 23

PERPENDINGA est præterea Dei misericordia erga iustos, ipsum diligentes, et que seruietes; & erga electos suos, ut sint, iuxta Apostolum, a *vasa misericordiae*, instrumenta videlicet, in quibus ostenderet abyssum misericordiarum suarum, & omnes excellentias, quas continet hoc eius attributum, de quo ipse tantopere gloriatur.

I.

b Psal. 102. 27.

PRIMUM misericordia Dei erga suos electos est æterna, nec principium habens, nec finē; nam à quo Deus est Deus, misericordiam habuit erga illos: quæ misericordia tam diu perdurabit, atque ipse Deus: id enim voluit Dauid, cum dixit: *b misericordia Domini æterno usque in æternum super timentes eius* sicut supra diximus de eius amore, quod esse æternus: quia ab ipsa æternitate illos prædestinavit Deus, ac decreuit liberare ab omnium eorum miserijs, & nominatim à sūma miseria, est æterna dānatio, dareq; illis supremam felicitatem, quæ est beatitudo æterna: Et, quantum in se est, eius misericordia, idem semper habuit desiderium erga omnes homines. Quare, antequam ego essem, Deus est misertus me, & præuidens miseras, in quas essem deventurus, decreuit me ab eis liberare; si vellet, ego ipsi obedire, animo & voluntate in ea misericordia perseverandi in æternum. Ex quo

ardet

ardentissimum concipiam affectum laudandi
& glorificandi Deum, ob æternam hanc eius
misericordiam, conficiens canticum laudum,
simile illi Dauidis, qui ad singulos versus re-
petic illa verba: *c quoniam in æternum miseri-* *c Psal. 135. 1.*
cordia eius. Confitemini Domino, quoniam bo- *&c.*
nus, quoniam in æternum misericordia eius. Con-
fitemini Deo Deorum, & Domino Dominorum,
quoniam in æternum misericordia eius; qui facit
mirabilia magna solus, quoniam in æternum mi-
sericordia eius, &c. O Anima mea lauda, glori-
fica, & benedic Deum tuum, quia summè bo-
bonus est; & quia nec principium habuit, nec
finem habitura est eius misericordia. Gaude
summo gaudio, eò quòd DEVS bonus sit; &
eius misericordia, erga eos qui illi seruiunt,
æterna. O Deus æterne, *d legem tuam custo-* *d Psal. 118.*
diam semper, in seculum & in seculum seculi: 44.
siquidem tua misericordia æterna mihi est in
omnia secula.

DEINDE misericordia Dei, statim atque
Electus incipit esse, illum præuenit, semper
comitatur, & vsque ad mortem sequitur: Nam
misericordia, quæ illum ab æternitate e præ- *c Rom. 8. 30.*
destinavit, sensim illum postea vocat, ut iusti-
ficet; iustificat, ut exaltet ac glorificet: ideo que
dixit per Ieremiam, *charitate perpetua dilexi*
te, ideo attraxi te miserans tui. Si mortuus ia *f Ierem. 31. 3*
ceo in culpa, misericordia Dei præuenit me ac
vocat, ut resurgam ad nouam vitam; si dormio
in torpore & ignauia, Dei misericordia acce-
dit, excitatq; me, ut eam ignauiam excutiam;

Si ali-

II.

g *Psal. 58. 22.* Si aliquid sum factururus, quod Deo placeat, eius misericordia me praeueniens, inspirat, & ad illud faciendum inducit; si in bono, quod ce-
 h *Psal. 22. 6.* pi, sum perseveraturus: h misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitae meae; per eam superabo tētationes omnes, & ultimam con-
 i *Psal. 102. 1.* sequar victoriam, & aeternam vitam. i Bene-
 dic anima mea Domino, & omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; & sanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam, & coronat te in misericordia & miserationibus. Eius misericordia est tua corona, qua victoriam consequeris: in hac vita coronat te bonis operibus, & in altera coronabit te gentibus praemijs.

III.

HINC tertio fit, ut misericordia Dei erga electos altissima; quia eos extollit altissima bona, quae ipse habet, ad bona scilicet gloriae. Et ideo iure optimo dixit David *1. Psal. 35. 6.* magna est in caelo, & super caelos misericordia tua: ibi enim ea maxime explicatur erga electos. imò etiam in hac vita, est Dei misericordia erga eosdem altissima; quia eos extollit superius bonis gratiae ac protectionis suae. Et ideo *m Psal. 102. 11.* dixit idem David: in secundum altitudinem caeli à terra, corroborauit Deus misericordiam suam super timentes se: & sicut coelum semper transiens, terram semper cooperiet; ita Dei misericordia durabit semper, & proteget semper eos, qui illum amant: & quanto coelum altius est terra, eò misericordia eius maior est, quae nota

nostra miseria. nam n^o quomodo miseretur Pa- n Psal. 102.
 ter filiorum, misertus est Dominus timentibus se, 17.
 quoniam ipse cognouit figmentum nostrum; sup-
 plerque defectus eius, & magnam nostræ na-
 turæ imbecillitatem magnitudine suæ mise-
 ricordia. O Deus meus, & gloria me, quid di-
 cam de misericordia tua! quomodo te ob eam
 laudabo? quomodo eius vas & instrumentum
 esse potero? misericordia tua compassa mihi
 est, antequam ego essem; illa me creauit vt es-
 sem; illa me præuenit, vt operer; comitatur,
 dum operor; & sequitur, donec perficiam
 opus; illa me circumdat benedictionibus ma-
 gnis, coronat victorijs, & magnam spem facit
 obrinendi æterna. o Deus meus misericordia o Psal. 58. 28
 mea! Tu es ipsa misericordia, & tua est omnis
 misericordia, quia ex natura tua habes quòd
 sis misericors: sed est etiam mea; nam miseri-
 cordia non est pro te, qui miserijs cares; sed
 pro me, qui illis abundo, quibus tu solus potes
 subuenire. O misericordia mea, coniunge me
 tibi in tua æterna gloria, vbi semper sis mea,
 vt tua fruens beatitudine, liber sim ab omni
 miseria in æternum, Amen.

PUNCTVM V.

VLTIMÒ perpendenda sunt indicia, quæ
 dedit Deus, suæ erga homines miseri-
 cordia. eam enim manifestauit exactis-
 simo, qui possibilis erat, modo, in quo infiniti
 modi misericordia continentur.

NAM

I.
S. Thom. 2.
q. 21. a. 3.

a Heb. 2. 17.

NAM imprimis misericordia in nobis duplicem habet effectum; alter est, tritari de malo proximi; alter, eundem ab illo malo liberare. Et quoniam Deus, quia Deus est, non erat capax primi effectus, quia non potest cadere in eum tristitia; voluit tamen infinita eius misericordia, sibi non deesse talem effectum, eo modo, quo erat possibilis: ideoque factus est homo verus, ut contritari posset de nostris miseris; & veram earum compassionem sentire, atque si eius essent propria. quare a debuit (ait Apostolus) *per omnia fratrum simili, ut misericors fieret*; quodam scilicet nouo modo accipiens compassionem & tristitiam, quas antea non habebat; quarum testis sunt lachrymæ quas fundebat, videns miseras nostras, & optans, nos ab eis liberare. Gratias tibi, ô misericors DEVS, ob nouum huiusmodi, quem adinuenisti, ut esses erga hominem misericors. O lætitia infinita, cur vis capax fieri tristitiæ, quæ abunde potes miseris succurrere, etiam si non tristeris de eis laudetur, Deus, misericordia tua, propter huiusmodi inuentiones, quæ ab illa processerunt: propter quam supplex oro, ut me iuues eam in hac vita æmulari, ut fiam dignus, eandem altera obtinere.

II.

SED vltterius progressa est misericordia Dei. Nam non satis habens, tristitiam & compassionem interiori suscepisse, accepit etiam miseras omnes nostras & pœnas (excepta culpa) vsque ad ipsam mortem: ut hoc

ipso experimento disceret nouam rationem miserendi. Quamobrem dixit Apostolus: *b nō habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine nostra, absque peccato:* quasi diceret: Pontifex, quem habemus, non erit ita seuerus, vt sola iustitia nobiscum agat; sed cōpatietur ex magna misericordia; quia expertus in se ipso est labores & tentationes, quas nos homines patimur; quamuis absq; peccato: Nam in eo quod passus est, didicit compati, & misereri eorum, quæ nos patimur. O Pontifex misericordissime, etsi expertus non es miseras, quæ sunt culpæ, expertus es tamen penas, quas culpæ promeruerunt; & si quidem passus es, vt ab vtrisque me liberares, libera à culpis, ne incidam in æternas pœnas.

b Heb. 4. 15.

III.

SED neque hic subsistit infinita Dei misericordia. adinuenit enim nouam aliam rationem, exercendi opera misericordiæ erga nos; in sanctissimo scilicet altaris Sacramento, factus cibus esurientibus, potus sitientibus, medicina ægrotantibus, pretium redimendis captiuis, sacrificium remittendis peccatis, adiutor & remedium omnibus nostris necessitatibus. Ideoque non absque mysterio David hoc opus tribuit misericordiæ Dei, dicens: *c me. cPsal. 110. 4. memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* O Deus misericordissime, nouo nūc titulo libebit, te misericordiam meā appellare; vt qui non solum sis misericors, vt meæ necessitati

cPsal. 110. 4.



d Psal. 106. 9

subuenias; sed ipsemet sis remedium eius, & ipsa misericordia, qua illi subuenis. *Confiteantur tibi Domine misericordia tua, & mirabilia tua, quæ fecisti filiis hominum: quia satiasti animam inanem, & animam esurientem satiasti bonis.*

c Luc. 6. 36.

Ex his considerationibus discam, quam finem innumerabiles misericordię Dei, & quam immensæ; siquidem in singulis his rebus tot sunt misericordię, vt non possint cõprehendi. Sed ex omnibus concipiam magna desideria, eam imitandi in bonum proximorũ; siquidem ipse

f 2. Reg. 9. 3.

Christus exhortatus est nos, e vt *simus misericordes sicut Pater noster cœlestis misericors est & benignus*, etiam erga ingratos & malos. Quare aspiciens exemplar Diuinæ misericordię, quod quinq; præcedentibus punctis propositum est, discam similem misericordiam; vt scilicet cupiam, occurrere mihi occasiones, eam exercendi: dicens, quod alia mente dixit Dauid: *numquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei misericordiam videlicet altissimam, ei similem, quæ est Dei; quæ ad amicos & inimicos extendit, concedens omnibus altissima & libera bona, quibus liberentur ex abyssis malorum.* O DEVS æternæ, cuius nomen valde

g 2. Cor. 1. 3.

proprium est *g Pater misericordiarum*, ostende nobis misericordiam tuam, faciens nos tibi similes in ea; vt te tanquam filij imitantes in terra, consequamur æternam hereditatem in cœlo.

MEDI